

que Locus Mossorin ad instar aliorum sibi vicinorum locorum militarium in Novum fossatum Militare erigatur, consequenter cum omnibus appertinentijs suis Confinarijs usuandum et possidendum jta tradatur, ut exceptis illis dicti Loci inhabitatoribus, qui militares fieri et in futurum servitia militaria ad instar aliorum Confinariorum praestare voluerint, reliqui omnes vel ad Oppidum Szent Maria, vel alia Cameralia ibidem loca nostra, Comitatus Bachiensis adjacentia, juxta Dispositionem Cameralis ibidem Praefecti nostri transire teneantur, hoc et id vero tam Szent Mariensibus quam etiam Mosoriensibus Incolis et Inhabitoribus per ipsorum Instantias medio Consilij nostri Aulae Bellici et Camerae nostrae Regiae Hungaricae tempestive et ad minimum tribus vel quatuor septimanis ante praefixum migrationis Terminum pro ipsorum notitia et directione publicetur. Praeterea etiam id Szent-Mariensibus Incolis militaribus intimetur: 1. Quod ipsis ulterius etiam optio admissa sit, vel Statum militare vel Provinciale sequendi, consequenter juxta praerecensitas Dispositiones vel in loco ut Provincialibus permanendi, vel ut militaribus ad Confinaria Loca transeundi; 2. Quod Praedium Ludas ab Oppido Szent-Maria, cui privilegialiter annexum est, nequaquam avelli et ipsis uti desiderabant, ad usuandum dari et concedi possit, adeoque ut nullam poenitus spem idcirco faciant; 3. Quod respectu antiquae 146000 florenorum Praetensionis ipsorum, si et in quantum fundata esset, ad Consilium nostrum Aulae Bellicum remittantur. Caeterum modus translationis dictorum Incolarum, qui ulterius quoque Militarem statum amplecti volunt, quoad Bona ipsorum immobilia, in praefato Oppido nostro hactenus private a Singulis possessa, (quoad) Ecclesiam item ipsorum, ille observetur (ordo), quem Regij Commissarij nostri Nobis in quinque punctis demisse proposuerunt, quemque sub die 18. Februarij et 8. Martij proxime praeteritorum ad Prothocollum Commissionis nostrae Articularicae per totum clementer approbavimus. Et quia

Decimo quarto, Nobis etiam id demisse relatum fuisset, quod propter differentias inter Militares et Civiles seu Plebeos ejusdem Oppidi Szent Maria Incolas hactenus vigentes, a tempore ipsis benigne concessorum Privilegiorum, nec ad rationem quanti Contributionalis, sed neque in sortem Contractus cum Camera nostra initi quidpiam solverint, consequenter aerarium nostrum Regium duplici modo ad praesens per ipsos damnificatum fuerit; cum autem hoc injustum omnino sit, ut beneficiorum ipsis privilegialiter concessorum usum habeant et abinde praestanda non praestent. Ideo benigne resolvimus, ut Regij Commissarij nostri pro futuro eas Dispositiones faciant, ut demtis militaribus, abinde ad Confinia transire ulterius quoque volentibus, reliqui Oppidani ejusdem loci Incolae ea quae ipsis vigore antelati Contractus et obtentorum Privilegiorum solvenda et praestanda incumbunt onera, de tempore in tempus rite praestent et exolvant; pro praeterito tamen eadem Oppidana Communitas exceptis (uti praemissum est) ad statum militare uberius etiam transire volentibus, nonnisi duas praefatorum Onerum Tertialitates, sub trium Mensium Spatio ipsis a dictis Regijs Commissariis nostris tempestive intimando et praefigendo, exolvere teneatur, et hoc eidem communitati cum ea expressa Comminatione iniungatur, quod nisi huic Dispositioni pro praefixo Termino satisfecerint et exolvenda pro praeterito integraliter exolverint, Educillum et Macellum ipsorum pro parte Camerae nostrae Regiae indilate occupabuntur, et usque plenariam talismodi restantiarum Exolutionem sequestrabuntur, sed neque in usu ipsis concessorum benignorum Privilegiorum